

serit, nichilominus puniatur pena maleficii comissi secundum formam statuti.

Cap. XXI. De blasfematoribus Dei et sanctorum et alliis ignominiiis.

Cum Deum et sanctos honorare et revereri quilibet teneatur, ordinamus quod quicumque Deum sanctam Mariam vel alios sanctos blasphemaverit, vel aliqua verba inepta ignominiosa vel vituperosa que sint contra honorem suum dixerit, componat comuni nomine pene vigintiquinque libr. par. sine remissione, et si non habuerit unde solvere, baptizetur in mari duobus diebus tribus vicibus in die et submergetur et tertia die sequenti stet ad barlinam per totum diem. ¶ Et quicumque audi- // verit blasphemare, teneatur sacramento acusare et sub pena centum sold., et habeat medietatem condemnationis. ¶ Et dominium facere teneatur quatuor acusatores secretos suo tempore, qui acusatores acusare debeant et teneantur omnes quos audierint blasphemare¹⁾ et habeant medietatem condemnationum factarum occasione suarum acsationum. ¶ Et quicumque ad figuram sive picturam Dei, matris sue, sanctorum vel sanctarum vel alicuius ipsorum qualitercunque et quomodocunque proicerit finum vel alia putrida aut aliter malo animo devastaret, componat comuni libr. quinquaginta par. sine remissione, et si non habuerit unde solvere, amputetur ei manus dextra, et si manum dextram non habuerit, amputetur ei sinistra.

Cap. XXII. De ignominiiis et vitiperiis dictis et prolatis.

Ordinamus quod, si aliquis civis noster alicui alteri civi dixerit vituperium aliquod, videlicet quod appellaverit eum servum vualtrinum furem periurium poltronum vel bastardum, vel alicui mulieri dixerit similia vituperia vel aliqua

¹⁾ blasphemare - medietatem aggiunta marginale.